

ORDO AD FACIENDAM AQUAM BENEDICTAM EXTRA MISSÆ CELEBRATIONEM

Prænotanda

Antiqua ex consuetudine inter signa, quibus Ecclesia utitur ad fideles benedicendos, aqua frequenter adhibetur. Aqua autem rite benedicta in fidelium mentes Christum revocat, qui benedictionis divinæ summa nobis existit, quique se aquam vivam vocavit, et Baptismum, aquæ sacramentum, in signum salutiferæ benedictionis pro nobis instituit.

Benedictio et aspersio aquæ ordinarie peragitur die Dominica, iuxta ritum in Missali Romano descriptum.

Cum vero aquæ benedictio fit extra Missæ celebrationem, ritus hic propositus adhibeatur, a sacerdote vel a diacono qui, ritus structura et potioribus elementis servatis, rerum adjunctis celebrationem aptabunt.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

Celebrans incipit dicens:

In nōmine Patris, et Filiī, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Deus, qui ex aqua et Spíritu Sancto
nos regenerávit in Christo,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

Tum celebrans, pro opportunitate, adstantes ad benedictionis celebrationem disponit his vel similibus verbis:

Hac aquæ benedictióne, Christum aquam vivam ac Baptísmatis recólimus sacraméntum, in quo ex aqua et Spíritu Sancto renáti sumus. Quóties ergo hac aqua aspergémur, vel ea tum intráentes in ecclésiam tum domi manéntes cum signo crucis utémur, grátias Deo agémus pro inenarrábili dono eius, eiúsque implorábimus auxílium, ut sacraméntum vivéndo teneámus, quod fide percépimus.

LECTIO VERBI DEI

Deinde fit ab uno ex adstantibus vel ab ipso celebrante brevis lectio Sacrae Scripturæ.

Io 7, 37-39 « *Si quis sitit, veniat ad me* ».

Audite, fratres, verba sancti Evangeli secundum Ioannem.

In novissimo die magno festivitatis stabat Iesus et clamavit dicens: « Si quis sitit, veniat ad me et bibat, qui credit in me. Sicut dixit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ ». Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant qui crediderant in eum.

Nell'ultimo giorno, il grande giorno della festa, Gesù, ritto in piedi, gridò: «Se qualcuno ha sete, venga a me, e beva chi crede in me. Come dice la Scrittura: Dal suo grembo sgorgheranno fiumi di acqua viva». Questo egli disse dello Spirito che avrebbero ricevuto i credenti in lui.

On the last day of the festival, the great day, while Jesus was standing there, he cried out, "Let anyone who is thirsty come to me, and let the one who believes in me drink. As the scripture has said, 'Out of the believer's heart shall flow rivers of living water.'" Now he said this about the Spirit, which believers in him were to receive.

Vel:

Is 12, 1-6 « *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus salutis* ».

Et dices in die illa ...

Is 55, 1-11 « *Omnes sitientes, venite ad aquas* ».

Hæc dicit Dominus Deus: « Omnes sitiéntes ...

Sir 15, 1-6 « *Timentem Deum aqua sapientiae potabit illum* ».

Qui timet Deum ...

1 Io 5, 1-6 « *Venit per aquam et sanguinem* ».

Caríssimi, omnis qui credit ...

Ap 7, 13-17 « *Agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum* ».

Respondebit unus de seniöribus dicens mihi Ioanni, in visione: «Hi qui amicti sunt ...

Ap 22, 1-5 « *Fluvius aquæ vitæ procedens de throno Dei et Agni* ».

Ostendit mihi Ioanni, in visione ángelus flúvium ...

Io 13, 3-15 « *Vos mundi estis* ».

Sciens Iesus quia ómnia ...

ORATIO BENEDICTIONIS

Deinde celebrans dicit:

Orémus.

Post brevem silentii pausam, celebrans, manibus extensis, dicit orationem benedictionis:

Benedictus es, Dómine, Deus omnípotens,
qui nos in Christo, aqua viva salútis nostræ,
benedícere dignátus es et intus reformáre:
concéde ut qui húius aquæ aspersióne
vel usu munímur,
renováta ánimæ iuventúte
per virtútem Sancti Spíritus
in novitáte vitæ iúgiter ambulémus.
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Vel:

Dómine, sancte Pater,
részice super nos,
qui per Fílium tuum redémpti,
ex aqua et Spíritu Sancto
per Baptísmum sumus renáti:
præsta, quæsumus,
ut qui hac aqua fúerint aspérsti,
córpore et mente renovéntur
et puram tibi exhibeant servitútem.
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Vel celebrans dicit:

Ómnium créator Deus, qui ex aqua et Spíritu
formam dedísti atque imáginem hómini et univérso.

R. Ecclésiam túam bénedic atque emúnda.

Christe, qui de rescísso in cruce látere
sacraménta salútis scatére fecísti.

R. Ecclésiam túam bénedic atque emúnda.

Sancte Spíritus, qui e baptismáli Ecclésiæ grémio,
in regeneratiónis lavácro,
novas nos constituísti creatúras.

R. Ecclésiam túam bénedic atque emúnda.

Post orationem benedictionis, celebrans adstantes aqua benedicta aspergit, dicens, pro opportunitate:

Sit hæc aqua suscépti Baptísmatis memória,
et Christum récolat,
qui Passióne et Resurrectíone sua nos redémit.

R. Amen.

Interim peragitur cantus aptus.